



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

42. De eo qui Sacerdotem occiderit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Decompositione Presbyteri , si occisus
fuerit. *Ex eodem.*

XL. Presbyter vulneratus aut cæsus , si Concil. Tri-
mortem evaserit , tota compositio cedat Pres-
bytero. Si verò mortuus fuerit , compositio in
tres dividatur portiones ; id est , altari cui Pre-
sbyter deserviebat pars una , altera Episcopo ,
tertia parentibus Presbyteri solvatur.

De eadem re. *Ex Capitularium libro II.*
cap. XLIX.

XLI. Presbyteri interficti compositio Lib. 4. Capi-
Episcopo ad cuius parrœchiam pertinent sol - tular. c. 15.
vantur secundum Capitulare gloriofi Karoli Burchard. lib.
genitoris nostri , ita videlicet ut medietatem 6. c. 11.
vvirigildi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesiæ Vide notam
cui præfuit tribuat , & alteram medietatem in Corrector.
eleemosyna ejus justè dispertiat : quia nullus Rom. ad c.
nobis ejus heres proximior videtur quam ille Omnes Pres-
qui ipsum Domino sociavit. byteri. 17. q.

De eo qui sacerdotem occiderit. *Ex*
Concilio Vvormaciensi.

XLII. Qui sacerdotem voluntariè occi- Concil. Vvor-
derit , carnem non comedat & vinum non bi- mac. c. 26.
bat cunctis diebus vitæ suæ ; jejunet usque ad Burchard. lib.
vesperam , exceptis diebus festis atque domi- 6. c. 8.
nicis ; arma non sumat , equum non ascendat ,
Ecclesiam per quinquennium non ingredia- Vide Morin.
tur , sed ante fores Ecclesiæ stet ; post quin- lib. 7. de pe-
quennium Ecclesiam ingrediatur , nondum nitentia c. 7.
vero communicet , sed inter audientes stet vel J. 8. 9.
sedeat. Cùm autem fuerit duodecimi anni

P iiij

230 R E G I N O N I S L I B . II.
cursus finitus , communicandi ei licentia con-
cedatur , & equitandi tribuatur remissio . Ma-
neat autem in reliquis observationibus tres
dies per hebdomadam , ut perfectius purifica-
ri mereatur .

De eadem re . *Ex Concilio Mogunciacensi ,*
cap. x x i v .

Concil. Mo-
gunt. sub Ra-
bano c. 24.
Burchard. lib.
6. c. 7.

X L I I I . Qui Presbyterum occiderit , du-
decim annorum ei pœnitentia secundum ca-
nones imponatur ; aut si negaverit , si liber est ,
cum duodecim juret ; si autem servus , super
duodecim vomeres ferventes se purget . con-
victus noxæ , usque ad ultimum vitæ tempus
militiae cingulum deponat , & uxorem amit-
tat .

De eo qui Presbyterum degradatum oc-
ciderit . *Ex eodem Concilio .*

Concil. Mo-
gunt. sub Ra-
bano c. 25.
Burchard. lib.
6. c. 9.

X L I V . Nuntiatum est nobis quod aliqui
qui olim dixerunt se fuisse sacerdotes , & po-
stea degradati pro suis peccatis pœnitentiam
agendo suffragia sanctorum , per diversa loca
transeuntes , quæsierunt , trucidati sunt . Hu-
juscemodi imperfectoribus omnem ecclesiasti-
cam denegamus communionem , donec dig-
nam pœnitentiam pro reatu suo secundum ju-
dicium Episcoporum exsolvant .

De homicidiis Clericorum . *Ex Capitularium*
lib. I I I . cap. x x v .

X L V . Qui Subdiaconum occiderit , CCC.
solidos componat . Qui Diaconum , CCC .
Qui Presbyterum , D C . Qui Episcopum ,